



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

47. Friderici Quarti Imp. Diploma Dat. Francofurti, An. MCCCCXLII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

Domini Luxemburgi ab antiquo sint legitimi Aduocati & Protectores Monasterij S. Maximini iuxta Treuiros, Abbatis & Monachorum eiusdem Monasterij, ac eorum subditos, bona, pagos, villas, & alia vbicunque ea sint sita, siue in ditione Luxemburgensi, siue extra: illa ipsa Dominus Luxemburgensis, perinde ac sua bona & suos subditos tanquam Aduocatus ab omni violentiâ, & iniuriâ tueri ac protegere debeat, idque mediantibus talibus annuis redditibus & defensionalibus iuribus in auenâ & pecunijs, quæ partim prædictum Monasterium, partim illius subditi in Castrum Luxemburgense inferunt & exoluunt. Et quandoquidem illud ab omni antiquitate ita fuit & obseruatum est; Ideo nos tanquam Domina & Ducissa Luxemburgi, maturo Consilio præfatum Monasterium, Abbatem & Monachos eiusdem Monasterij S. Maximini eorum domesticos & famulos, eorum villas, pagos, subiectos & quicquid ad eos pertinere potest intra & extra nostram ditionem Luxemburgensem situm, tanquam Patrona eiusdem Monasterij accepimus & accipimus virtute harum in nostram, & nostræ ditionis Luxemburgensis veterem tutelam & protectionem iuxta tenorem & sensum prædictorum nostrorum antecessorum & parentum Maiestatis litterarum desuper concessarum; Atque idcirco præcipimus & mandamus omnibus & singulis nostris Drossardis, Capitaneis, Præpositis, Iudicibus, Receptoribus, Cellarijs, Schultetis, Prætoribus, alijsque nostris Officiarijs præsentibus & futuris vbicunque sint seriò & districtè, vt omnes & singuli nostro & officij sui nomine præfatum Monasterium S. Maximini, eorum famulos & domesticos, bona, subditos, pagos, villas cum alijs omnibus attinentijs intra & extra ditionem nostram Luxemburgensem sitas, contra quemcunque ab omni violentia custodiant ac protegant æquè ac nostra; atque id ne intermittant, quam illis gratum, gratiam nostram conseruare & indignationem cauere. In huius rei fidem, iussimus nos Elisabetha Ducissa prædictum nostrum Sigillum hæc litteris appendi. Datum in vigilia Natiuitatis Beatæ MARIÆ Virginis in Septembri, Anno millesimo, quadringentesimo vigesimo octauo.

47.

*Friderici IV. Imperatoris Diploma Datum Francofurti,
Anno MCCCCXLII.*

FRIDERICVS DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Austriae, Styriae, Carinthiae & Carniolæ Dux, Comes Tyrolis &c. ad perpetuam rei memoriam. Quoniam nostræ benignitatis Regia Celsitudo, vniuersos, quos Romanum ambit Imperium, teneatur dulcorosis fauoribus, & benignis promotionibus amplexari, dignum tamen decreuit nostra Serenitas, & congruum arbitramur, vt horum honoribus augmentandis, & commoditatibus procurandis feruentius & vigilantius intendamus, quos in Dei laudibus & diuinis obsequijs regularis professio, obseruantia, & sincera deuotio dedicauit. Sane honorabilem & religiosos deuotos Abbatem & Conuentum Monasterij Sancti Maximini in præurbio Ciuitatis Treurenensis ordinis Sancti Benedicti, deuotos nostros dilectos, & ipsum Monasterium, propter augmentum cultus diuini, multorum corpora Sanctorum inibi quiescentia, & diuinæ retributionis intuitu. Cum & Romani Imperij specialis domus, & reseruata Camera existat, & est omnium Imperatorum & Regum Romanorum: idcirco idem Monaste-

rium

rium confirmandis eorum priuilegijs specialibus, gratijs & fauoribus, præuenire volentes, cum in roborandis beneficijs, non minus, quam in largiendis bonis eidem Monasterio, vt nostro ac Imperij Romani speciali habitaculo prouideatur: cum idem Monasterium cum omnibus suis appendicijs & annexis, per omnes nostros prædecessores, diuos Imperatores, & Reges Romanorum, vsque ad nostra tempora moderna, sub eorum protectione, guardia, & defensione singulari sit receptum, ac hætenus conseruatum: eapropter vniuersa & singula priuilegia, litteras, concessiones, libertates, gratias, confirmationes, immunitates, iura, feuda, castra, munitiones, oppida, villas, terras, dominia, Iurisdictiones, consuetudines, honores, consuetas & laudabiles obseruantias, prædictis Abbati & Conuentui, ipsique Monasterio S. Maximini, in capite & in membris, à recollectione memoriæ Diuis Imperatoribus, & Romanorum Regibus nostris prædecessoribus indulta vel indultas, concessa vel concessas, maturo præcedente consilio, & ex certâ nostrâ scientiâ, ac de plenitudine Regiæ Romanæ potestatis in omnibus eorum clausulis, articulis, punctis, & sententijs, de verbo ad verbum, ac si prædictorum priuilegiorum, litterarum, donationum, libertatum, concessionum, iurium, feudorum, consuetudinum, bonorum omnium tenores, in proprijs clausulis essent præsentibus inserti, & totaliter interclusi, prout rite & prouide processerunt, approbamus, innouamus, laudamus, ratificamus, & præsentis scripti patrocinio & auctoritate Regia confirmamus, Volentes etiam ipsos. Abbatem & Conuentum cum singulis & omnibus eorum bonis, villis, oppidis, Iuribus & libertatibus, possessionibus, redditibus, hominibus, seruatoribus, familiaribus, vbique locorum sitis, in nostram singularem ac sacri Romani Imperii recipere protectionem, guardia, & defensionem, quapropter mandamus, & districte præcipimus, gratiæ nostræ sub obtentu, omnibus Principibus tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, Prælatibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Aduocatis, militibus, clientibus, Iudicibus, & Consulibus, ac ciuibus ciuitatum, cæterisque nostris & Imperij subditis & fidelibus, & Illustri Duci Lutzæmburgensi, Principi & consanguineo nostro charissimo, præsentibus & futuris, quibus præsentibus exhibita fuerint, quatenus præfatos Abbatem & Conuentum dicti Monasterij ac homines, bona, & redditus, ac iura ipsorum ab omnibus iniurijs, molestijs, oppressionibus, perturbationibus, & violentijs, quibuscunque nominibus censeantur, auctoritate Regiâ protegant, manuteneant, defendant gratiosius, & conseruent, quoties ipsis erit necesse & opportunum, & per ipsos aut procuratores, vel nuntios eorum fueritis requisiti, decernentes & præcipientes & volentes prædicta, & eorum quodlibet, vt præmittitur, perpetuis temporibus, obtinere inuiolabilis roboris firmitatem. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc nostræ confirmationis, præcepti, & innouationis paginam infringere, aut ei ausu temerario aliquo modo contraire. Si quis autem hoc attentate præsumpserit, præter grauem indignationis nostræ aculeum, pœnam quinquaginta marcarum auri puri pro qualibet præsumptuosa ac temerariâ attentatione, quarum medietatem Fisco nostro Regio, & aliam medietatem prædictis, Abbati & Conuentui, & ipsi Monasterio Sancti Maximini applicari volumus, & pœnæ nomine soluere tenebitur, se sciat irremissibiliter incursum. Datum Frankfordiæ, die sexta, Mensis Augusti. Anno Domini Millesimo, quadringentesimo quadagesimo secundo, Regni vero nostri Anno tertio. Ad mandatum Domini Regis, Iacobus de Lins decretorum Doctor.